



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXIV. Gregorii Papae I. Ad Marinianvm Episcopvm Ravennae. De  
disceptatione inter ecclesiam Rauennatem, & Claudicium abbatem:  
commemoratque dubias causas Romae terminandas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

consecrare te volumus. Sanctuaria vero suscepsum  
cum reuerentia collocabis.

## EPISTOLA XXIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

De Pimenio Amalphitano episcopo, qui in ecclesia sua  
non residet.

*Gregorius Anthemio subdiacono.*

Ioan. diac.  
libro 3. cap.  
37.  
Grat. 7. q.  
1. cap. 2.  
Anselm. lib.  
6. cap. 78.

**P**ERVENIT ad nos \* Pimenium Amalphitanæ ciuitatis <sup>ad. Di-</sup>  
episcopum in ecclesia sua residere non esse contem-<sup>nendum</sup>  
tum, sed foris per diuersa loca vagari, quod videntes alii  
nec ipsi in castro se retinent, sed ipsius exemplum sequen-  
tes, foris magis eligunt habitare. Et quia hoc agentes ipsi  
potius ad suam hostes deprædationem inuitant, idcirco  
hac tibi auctoritate præcipimus, ut supradicto episcopo  
interminari non desinas, quatenus hoc de cetero facere  
non præsumat, sed in ecclesia sua sacerdotali more resi-  
deat. Quem si forte non emendari post tuam intermina-  
tionem cognoueris, in monasterio eum deputare, & nobis  
curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas,  
nostra iterum præceptione cognoscas.

## EPISTOLA XXIV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD MARINIANVM EPISCOPVM RAVENNÆ.

De disceptatione inter ecclesiam Rauennatem, &amp;

\*Claudium abbatem: commemoratque dubias  
causas Romæ terminandas.

*Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.*

**S**CRIPTA fraternitatis vestræ Virgilio diacono deferens  
te suscepimus, in quibus indicasti quosdam de clero &  
populo clamitasse contra leges & Canones esse, vt inter  
ecclesiam vestram, & Claudium abbatem causa hic ex-  
aminari ac iudicari debeat. Qui si ecclesiasticum ordinem,  
vel inter quos vertitur, noſſent aduertere, se a superflua  
querela modis omnibus abstinerent, præfertim quia nec  
causa dici illic possit, vbi se prædictus abbas a decessore ve-

stro questus est iniustitiam pertulisse, & ex ea haec tenus laborare. Hoc enim poterat fortassis opponi, si non ad maiorem recurreret, & apud eum causæ suæ peteret meritum terminari. Numquid non ipse nosti, quia in causa, quæ a Ioanne presbytero contra Ioannem Constantinopolitanum fratrem & coepiscopum nostrum orta est, secundum Canones ad sedem apostolicam recurrit, & nostra est sententia definita? Si ergo de illa ciuitate, vbi princeps est, ad nostram causa cognitionem deducta est; quanto magis negotium quod contra vos est, hic est veritate cognita terminandum? Vos autem ibi stultorum verba non moueant, nec per nos credatis aliquod dispendium ecclesiæ vestræ fieri. Nam si seruum Dei Secundinum diaconum vestrum, atque Castorium nostrum requiritis, ab eis agnoscatis qualiter causam istam iamdecessor vester voluerit ordinare. Fraternitas autem vestra sapienter egit personas pro negotio ipso transmittere, & verba inania non audire. Confidimus autem in omnipotenti Deo, quia examinata subtilius veritate, ita Deo placitus huic causæ finis imponetur, ut nec aliqua denuo querela remaneat, nec pars qualibet contra iustitiam prægrauetur. Spatham vero quam apud predecessorem vestrum dilectissimus filius noster Petrus diaconus tunc illic defensor reliquerat, nobis per Secundinum seruum Dei, atque Castorium notarium præsentium portatores transmittite.

EPISTOLA XXV.  
GREGORII PAPÆ I.  
AD MAXIMVM.

Præcipit ut humiliatus Romam veniat, & Paulino episcopo, & Honorato archidiacono amplius vim non inferat.

*Gregorius Maximo in Salona qui episcopatum arripuit.*

**D**V scriptis nostris, quæ sitis quibusdam excusationibus, differs obedientiam exhibere, dum pro veritatis satisfactione toties a nobis admonitus venire postponis; iis quæ aduersum te dicta sunt fidem ex hoc magis accommodas; & vel si qua alia deesse videbantur, quæ gravent aut noceant, id agis ut sola dilatio faciat, & accuset

P pp iiij